

netas singulos actio sit reciproca, inter varios planetas actionem quoque mutuam esse ex analogia naturæ colligi potest; hanc autem ratiocinationem, quæ non satis firma fortasse videbitur, confirmant errores in Saturni Jovisque motibus ex mutua illorum actione oriundi. Pro varia planetarum illorum distantia a sole & a se invicem, pro diversa illorum mutua & respectu solis positione, multæ in illorum motibus observantur inæqualitates, quæ nulli alteri causæ, quam mutua attractioni tribui possunt. Qua enim ratione alia fieri posset, ut planeta illi pro varia positione suos motus turbarent? nisi vi aliqua attrahente, quæ in minoribus distantis major est, in majoribus autem minor? Errores in Jovis & Saturni motibus sese facilius astronomis conspicuos præbent; certum enim est planetas illos esse reliquorum omnium longe maximos, ac proinde & major esse debet actio mutua; sed hujus attractionis legem in proximo articulo expendemus, & attractionis doctrinam magis ac magis declarabimus.

II. Vim attractivam qua sese mutuo petunt corpora caelestia, inter corpora terrestria etiam vigere ostenditur exemplo lunæ. Satis accurate ponunt astronomi lunam motu uniformi circa terram revolvi in circulo cujus radius æqualis est sexaginta semidiametris terrestribus. Itaque cum circulorum peripheriæ sint inter se ut radii, erit orbis lunaris circumferentia circuli maximi terrestris circumferentia sexagesies major. Inventa autem est circuli maximi terrestris circumferentia pedum Parisiensium